UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Scientia Salvtis, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam Spiritualis Vitæ Materiam complectens

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

228. feria 5. de cultu corporis, & asperitate.

urn:nbn:de:hbz:466:1-59837

Visual Library

medicina paratur ijſdem provectis. 3. Cogitationes meas ad ruborem & humilitatem manifeſtare arbitro conſcientiæ meæ. 4. Cor meum, & cogitationes meas, quòd Deo pateant, conſiderare. 5. Bonis ſemper cogitationibus cor occupatum habere, quæ contrarias intrare non ſinant. 6 Impuris cogitationibus cuſtodiâ ſenſuum, & fugâ malorum repugnare. 7. Curioſis, & otioſis cogitationibus me amore proprij profectûs, & deſiderio divinæ familiaritatis opponere. 8. Cogitationibus de rebus neceſſarijs recordatione divinæ providentiæ, ac ſummi Patris me ceu filium amantis, obſiſtere.

## MEDITATIO CCXXVIII.

## Feria 5. Domin. 8. poſt Pentecoſt.

### *De cultu corporis, & aſperitate.*

VIdebo corpus animæ inſtrumentum à Deo datum ad virtutem exercendam. Petam illud cultu debito exornare, & aſperitate ad virtutem adaptare.

*Conſ.* 1. *Servi Chriſti, quia mundioris vitæ inſtituta ſectantur, corpora caſtigare volunt,* inquit Lib. de Fide ad Pet. cap. 3. D. Auguſt. Utar igitur ejus teſſerâ: *Moriar, ne moriar,* Lib 1 Conf. cap. 5.

*Conſ.* 2. Ideo veſtimenta non debere eſſe nimis ſubtilia, ſed potiùs aliquantulùm du-

ra, &

ra, & craſſa, quæ corpora non ad otium, ſed ad honeſtos labores nata cooperiant. 2. Non leviter, & pueriliter corpori aptata, ſed tali modo, ut mentem ſeriam, & gravem oſtendant. 3. Non ſordida, nec nimis munda, quæ ad immoderatam curioſitatem deflectant. 4 Omni tempore curandum eſſe; ne omnia in hoc genere amictûs corporalis ſint commoda, ut pro amore Domini, in hoc, ſicut in cæteris, aliquid patiamur. Et hæc ad cultum corporis ſpectant.

*Conſ.* 3. Aſperitates corporis ideo aſſumi, teſte D. Auguſt. tract. de utilit. jejunij: *Nam & victima excruciatur, ut in aram imponatur:* idcirco actiones ejus ſunt. 1. Cilicium ex ſetis animalium contextum, vel ex alia materia aſperiore compactum aliquot ſaltem diebus hebdomadæ induere. 2. Flagris, & funibus, vel alio, quod dolorem inferat, corpus proprium cædere. 3. In lecto ſemper alieno ab omni mollitie, ſubinde in nuda tabula cubare. 4. Ab alimentis ſuavitatem, à potu nimiam frigiditatem, quæ delectat, amovere. 5. Jejunijs, inediâ, genuflexionibus, & ſtationibus in oratione protelatis corpus affligere, frigúſque & æſtum, & corporis fatigationem ex itinere, aut labore libenter ſuſtinere. 6. Quidquid aliud carni moleſtum occurrit, ut gemmam pretioſam aſſumere. Do-

minus meus ſemel tantùm legitur ſuper cervical dormiviſſe, cæterum non habuit, ubi caput reclinaret, præſertim in Cruce. Circa veſtitum autem quantas paſſus eſt divexationes, quantos in corpore labores, & dolores! Quidquid pœnarum ſupra culpam tulero, cedet in augmentum meriti.

## MEDITATIO CCXXIX.

## Feria 6. Domin. 8. poſt Pentecoſt.

### *De mortificatione Tactûs.*

Videbo Dominum meum crudeliſſimis manibus aſperrimè tractatum, vulneribus rotundis, angularibus, & oblongis dilaniatum. Petam gratiam me circa tactum mortificandi.

*Conſ.* 1. Majus virtutis ſtudium ad majorem cum Deo unionem vergit: tantò igitur major mortificatio tactûs requiritur, quantò magis DEUS, qui Spiritus eſt, abhorret ab omni corporeo.

*Conſ.* 2. *A licitis abſtinemus, ut quæ commiſimus illicita, nobis condonentur*, inquit D. Bernardus ſerm. 4. Quadr. Et D. Greg. ait: *Qui commiſit illicita, à licitis abſtinet.* Hom: 34 in Evang. idem aget, qui ſanctè odit animam ſuam.

*Conſ* 3. Actiones ejus ſunt 1. quæ minùs honeſta ſunt, ita quoad uſum hujus ſenſûs cogita-